

INDEX CAPITULORUM AC TITULORUM,

SUB QUIBUS CONTINENTUR OMNES MATERIÆ

CIRCA QUAS VERSANTUR OMNES HÆRESSES quæ in his quatuordecim primis libris recensentur, & confutantur.

Lib. I.

Quid sit hæresis, lib. 1. 1. a cap. 1. De scripturis canonicis, quibus hæreses revincenda sunt, lib. 1. 3. b cap. 2. Quod solus librorum canonicorum sensus litteralis efficax est ad hæreticos convincendos, & quis sit dicendus literalis, lib. 1. 8. c cap. 3. Quod sacrarum scripturarum interpretatio, quam quisque fidelis amplecti tenetur, ad solam Ecclesiam pertineat, lib. 1. 10. b cap. 4. Quod aliqua sunt, quibus ex universalis Ecclesiæ definitione fides integra adhibenda est, etiam si expressis sacre scripturæ testimoniis non valeant improbari, lib. 1. 12. e cap. 5. Quod Ecclesiam universalem Concilia generalia rite congregata sufficienter expriment, ac repræsentent, quorum Conciliorum definitionibus & traditionibus ea erit præstanda fides, quæ universalis Ecclesiæ debetur, lib. 1. 15. c cap. 6. Quod aliorum hominum quantumlibet Sanctorum scripturæ non sufficientiant ad hæresim revincendam, lib. 1. 18. a cap. 7. Quod ad solam Ecclesiam & Sedem Apostolicam, aut generale Concilium spectat hæresis censere, lib. 1. 22. a cap. 8. Quis sit dicendus hæreticus, lib. 1. 26. d cap. 9. Quod dubius in fide dicendus sit hæreticus, lib. 1. 29. e cap. 10. De quibusdam causis, ex quibus hæreses oriuntur, lib. 1. 31. a cap. 11. De quibusdam aliis duabus causis, à quibus etiam hæreses oriuntur, lib. 1. cap. 12. p. 35. De aliis causis, siquæ externis, unde hæreses oriuntur, lib. 1. cap. 13. de aliis causis &c. p. 38. De hæreticis agnoscendis, lib. 1. 42. b cap. 14.

Adoratio, lib. 2. p. 45. a Absolutio, lib. 2. 50. e Adam, & Eva, lib. 2. 54. e Adulterium, lib. 2. 63. e Angelus, lib. 2. 63. b Anima, lib. 2. 64. b Annus, lib. 2. 72. e Apostoli, lib. 2. 73. e Aqua, lib. 2. 75. a Baptismus, lib. 3. 78. e Beatitude, lib. 3. 101. e Bellum, lib. 3. 115. d Benedictio, lib. 3. 117. a Bestia & brutum, lib. 3. 117. c Calceamentum, lib. 4. 117. a Cantus, lib. 4. 118. a Caput, lib. 4. 121. b Character, lib. 4. 121. b Caro & corpus humanum, lib. 4. 122. c Certitudo, lib. 4. 123. c Cibus, lib. 4. 123. d Circumcisio, lib. 4. 127. a Christus, lib. 4. 127. b Concilium, lib. 4. 144. e Coitus, lib. 4. 146. a Confessio, lib. 4. 148. d Confirmatio, lib. 4. 153. e Consilium, lib. 4. 156. d Contritio, lib. 4. 156. e Correctio, lib. 4. 158. a Creatura, lib. 4. 158. a Crux, lib. 4. 159. c Decime, lib. 5. 159. a Deus, lib. 5. 160. b Diabolus, lib. 5. 174. a Ecclesia, lib. 6. 175. a Eleemofyna, lib. 6. 181. a Episcopus, lib. 6. 182. b Evangelium, lib. 6. 186. b Eucharistia, lib. 6. 188. c Eunuchus, lib. 6. 218. a Excommunicatio, lib. 6. 219. e Exorcismus, lib. 6. 222. d Fatum, lib. 7. 225. a Fides, lib. 7. 226. e Fiducia, lib. 7. 245. e Fornicatio, lib. 7. 248. a Futurum contingens, lib. 7. 248. b Gratia, lib. 7. 250. d Hæreticus, lib. 7. 272. a Horæ canonicæ, lib. 7. 273. d Idolatria, lib. 8. 274. a Jejunium, lib. 8. 275. a Imago, lib. 8. 280. d Indulgentia, lib. 8. 283. b Infernus, lib. 8. 284. a Inimicus, lib. 8. 285. a Injuria, lib. 8. 285. e Joannes Baptista, lib. 8. 286. c Judas, lib. 8. 286. d Judicium, lib. 8. 287. c Judex, lib. 8. 287. e Juramentum, lib. 8. 288. e Justus, lib. 8. 290. a Labor, lib. 9. 291. d Lex, lib. 9. 295. a Libertas, lib. 9. 298. a Lingua, lib. 9. 304. d Malum & malicia, lib. 10. 305. d Maria Virgo, lib. 10. 306. a Maryrium, lib. 10. 310. d Matrimonium, lib. 10. 310. e Melchisedech, lib. 10. 311. d Mendacium, lib. 10. 312. b Mendacitas, lib. 10. 314. c Meritum, lib. 10. 315. c Miraculum, lib. 10. 316. a Missa, lib. 10. 317. d Monachus, lib. 10. 341. b Mulier, lib. 10. 342. a Mundus, lib. 10. 343. d Nuditas, lib. 11. 345. a Nuptiæ, lib. 11. 345. b Obedientia, lib. 11. 365. e Occidere, lib. 11. 365. c Opera, lib. 11. 366. a Oratio, lib. 11. 379. c Ordo sacramentum, lib. 11. 382. e Papa, lib. 12. 384. c Pascha, lib. 12. 389. c Paupertas, lib. 12. 390. Peccatum, lib. 12. 392. e Peregrinus, lib. 12. 403. d Penitentia, lib. 12. 404. a Potestas, lib. 12. 413. e

Pre-

Præceptum, lib. 12. 413. d Prædestinatio, lib. 12. 425. b Prædicatio, lib. 12. 430. a Præsentia, lib. 12. 432. a Prophetæ, lib. 12. 432. b Purgatorium, lib. 12. 433. b Regnum Dei, lib. 13. 437. a Reliquiæ Sanctorum, lib. 13. 437. a Restitutio, lib. 13. 440. c Resurrectio, lib. 13. 441. a Sacerdotium, lib. 13. 444. c

Sacramenta, lib. 13. 459. c Sancti, lib. 13. 460. d Satisfactio, lib. 13. 462. b Scriptura sacra, lib. 13. 462. c Scientia, lib. 13. 464. b Sepultura, lib. 13. 465. c Silentium, lib. 13. 466. b Simonia, lib. 13. 466. c Spes, lib. 13. 467. c Studia generalia, lib. 13. 468. a Subditus, lib. 13. 469. e Suffragia defunctorum, lib. 13. 470. b

Templum, lib. 14. 472. a Tentatio, lib. 14. 473. d Terra, lib. 14. 474. d Timor Dei, lib. 14. 474. b Tyrannus, lib. 14. 476. d Verecundia, lib. 14. 478. b Vinum, lib. 14. 478. b Virginitas, lib. 14. 479. b Unctionis extremæ sacramentum, lib. 14. 485. b Votum, lib. 14. 491. b Ulura, lib. 14. 501. b

FINIS.

INDEX CAPITULORUM
LECTORI BENEVOLO
TYPPOGRAPHUS.

Alphonſi de Caſtro (Lector benevole) de Republica literaria optime meriti in ejus Operum exordio hiftoriam præmittere, non injucundum tibi fore putavi, quippe qui tanti viri dignitate, excellentia, & amplitudine initio perlinitus, leviori moleſtia, atque labore ex ejus faluberrimis ſcriptis, majori cum voluptate fructum abſdubio capere poteris; ne autem moras neſtere videar, dabo paucis.

Alphonſus igitur noſter in Zamora antiqua Regni Legionenſis urbe, anno Domini quadringentiſimo nonageſimo quinto ſupra milleſimum, prout Gaſpar Tamayo ejuſdem Caſtri diſcipulus, ac contubernalis in eloquenti Epitaphio ejus tumulo affixo, non obſcure teſtatur, natale ſolum agnovit. (a) Nam cum à Deo fuiſſet in cælum evocatus anno quingentiſimo quinquageſimo octavo ſupra milleſimum, ætatis vero ſexageſimo tertio, quinque annis ſubductis, liquido conſcitur, Alphonſum anno ſupra relato primam lucem viſiſſe.

Qua vero cura, atque diſciplina primis in annis inſtructus fuerit, & ſub quibus Præceptoribus teneram ætatem tranſegerit, uſque adeo incompertum eſt; nam apud Auſtores tum domeſticos, tum exteros hac de re altum ſilentium ſervatur. At ſi ex his, quæ memoriæ tradiderunt, conſpicere licet, annum decimum quintum agens, Alphonſus in Cœnobio Salmanticensi, S. Franciſci Aſiſienſis Seraphico inſtituto nomen dedit, & Tirocinio conſecto, atque regularis diſciplinae diligentiffimus, & eximius cultor, vir pietate inſignis, & Apoſtolicæ vitæ, atque Evangelicæ paupertatis Religioſiſſimus æmulator evaſit.

His pietatis, atque virtutis optimis qualitatibus comparatus, quas in dies & ſervavit, & auxit, ſe ad ſtudium literarum convertit. Prophanis, ſacriſque ſedulo incumbens, eloquentiæ laude cum primis excelluit. Mirum quantum, primo juvenutis flore, vel ab ipſa pene adoleſcentia, cum vix ex ephæbis excederet, magno cum eruditionis apparatu, hominum profecta, & ſui nominis gloria Concionatoris munus aggreſſum. Omnes exemplo antea ſtudebat, ac re magis quam verbis ſacram doctrinam auditoribus propinabar. Orationis ſuavitate, & dicendi copia omnium animos mirifice afficiebat. Concionatoris ergo arduum munus per annos tres ſupra quadraginta exercuit, & magno animarum fructu doctrinæ, atque eloquentiæ laude Populo, Imperatori Carolo, Philippoque Regi gratiſſimus fuit. Quam eximii Oratoris laudem concionum frequentia, auditorum diverſitate, annorum ſpatio nedum non minuit, ſed quod mirere, ſemper in dies auxit. Quip & poſteritati, exterifque nationibus teſtatum reliquit. Eam inter celeberrimos Hiſpaniæ Concionatores merito eſſe computandum, Ludovicus, Elias, Dupinus, Fleuri continuator, & reliqui fere omnes uno ore fatentur. (b)

Neque vero eximius tantum Evangelii noſter Alphonſus præco, ſed ſummus etiam Theologus evaſit. *Salmanicæ* (inquit Nicolaus Antonius de eo loquens) *vitam Religioſam profeſſus*, ſtatim ſe ad Theologiæ veræ, totiuſque eruditionis ſtudia compoſuit, eo animo, atque ſucceſſu, ut præſtantiffimorum Theologorum laudem, ac meritum adæquaverit. (c) Concilio Tridentino etſi in ejus Catalogo adſcriptus non reperiatur, juſſu Philippi Secundi Regis Catholici interfuit. Cæſarem ipſum variis in itineribus comitatus fuit, & ut nonnulli pleno ore fatentur, nedum partes Regii Prædicatoris explevit, ſed & reatus ſuos Cæſarem conſentem audivit. Quinimmo, ut ipſe Nicolaus fidem facit, ut primum integre Monarchiæ habenas Philippus Secundus ob renuntiationem ſui magni Parentis accepit, & ad negotia Regni peragenda ſibi Conſiliarium adjunxit, jam tunc clarere cœpit, qua illius approbatione, & gratia rerum Anglicarum negotiis procurandis, aſſerendoque ibi Ecceſiæ Romanæ Império quam pium zelum impenderit.

In Cæſaris comitatu cum in Germania vitam duceret, tres libros, *De juſta punitione hæreticorum*, optima eruditione digeſtos, eidem Cæſari nuncupavit. Deinde tractatum, *De Potestate Legis pœnalis*, duobus libris abſolvit. Poſtea vero, volens radicitus ab Ecceſiæ fertiliffimo horto omnem zizaniam evellere, libros quatuordecim *adverſus omnes hæreſes* prælo ſubjecit, atque Philippo Secundo dicare conſtituit. Demum, dum oportebat à continuo labore ſubſtractum, aliquantum ſe quieti tribuere, atque animum congruo otio relaxare in Conventu Salmanticensi, viginti quatuor homilias, quas ad populum pronuntiaverat, in lucem edidit, & quinque ſupra viginti ſuper Pſalmum *Miferere*, publici juris fecit, quæ ſcripta apud omnes, & ubique, magno prætio extiterunt, & faluberrimum Auſtoris laborem omni ſtudioſo impenſe commendant. (d)

At cum comitem ſibi Philippus Secundus aſſerit in itinere ad Germaniam inſtituto, & ibi à Conſiliis eidem faerit, ut fidei negotia in Anglia ſine dolo tractarentur, idem Philippus Sanctiſſimæ Compoſtellanæ Ecceſiæ Archiepiſcopum renuntiaſſe, qui paulo poſt, & antequam obtinere potuiſſet Diploma Pontificium, undecima Februarii Bruxellæ in Britania animam Cœlo dignam exhalavit. Ab Einſengrenio appellatur: *Apoſtolicæ vitæ vir, & myſtica divinarum Scripturarum interpretatione altus, atque ſublimis fidei propagator accerrimus*. A Gonzaga vocatur: *Vir graeviſſimus, multique nominibus honorandus, hæreſiomaxatrix accerrimus, Scriptorque feliciffimus*. Et à Fratre Joanne de la Haye merito audit: *Potens hæreticorum flagellum*. (e)

Opus *adverſus omnes hæreſes* decies reſuſum viginti annorum ſpatio Nicolaus Antonius reſtauravit: at cum tertia editio Venetiis ab eodem Auſtore aucta & caſtigata prodierit, ad hujus exemplar, Matriri denuo Studioſus quidam recedendam novam editionem curavit, quam cum ejuſdem Auſtoris reliquis operibus, quæ ad manus haberi poterunt, tibi, Benevole Lector) grato animo offert. VALE.

F. AL-

(a) Apud Jacob. de Caſtro in *Chron. Prov. S. Jacob.* (b) Elias *Biblioth. nova, aut Ecclēſ. tom. 16.*
(c) Nicol. Ant. in *Biblioth.* (d) Jacob. de Caſtro *ubi ſup.* (e) *Biblioth. Francicana.*

REVERENDISSIMI P.
F. ALFONSI
DE CASTRO,
ZAMOREN. MINORITÆ,
ADVERSUS HÆRESES,
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid ſit hæreſis.



DE hæreſibus tractaturus, ab hæreſis definitione auſpicandum cenſui. Prius enim oportet, juxta Ariſtotelis præceptum, hæreſis definitionem ſtatuerè, ad quam velut ad gnomonem ſit quævis aſſertio de hæreſi examinanda. Hæreſis juxta nominis veram & integram ſignificationem electio dicitur, quod ſcilicet eam unuſquique eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem: venitque à verbo Græco *airoμαι*, quod Latine ſonat eligo. Inde Philoſophorum ſectæ aut opinionès, hæreſes appellatæ ſunt. Ex qua vocis ſignificatione alicui forte videretur doctrinam Evangelicam hæreſim fore appellandam, cum eam plurimi errores alios deſerentes, ſibi eligant, eo quod exiſtiment eſſe veriorem. Verum hoc ſtatim diſſolvit quiſque, ſi conſideret Evangelicam doctrinam non ab homine prodiam, aut aliqua humana ratione inventam, ſed ſola Dei inſpiratione & revelatione agnitam, ac ideo non ex noſtra electione obveniſſe alicui; ſed ſola Dei voluntate eam manifeſtante. Nullus enim ſua tantum innixus prudentiæ, illi aſſentire poſſet. Quo ſit, ut prius à Deo edoctum eſſe oporteat, quiſquis hanc vere & tenaciter (ut decet) amplectatur diſciplinam. Sic enim dicit ipſe veritatis magiſter: (Joan. 6.) *Nullus venit ad me, niſi pater meus traxerit illum*: Quapropter juxta vocis proprietatem quantumlibet extenſa dictione, minime hæreſis appellari poſſet. Cui ſententiæ favet Theophylaſtus ſuper illud ad Coloſſenſes ſecundo: *Videte ne quiſ vos ſeducat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum*. Sic enim ait: *Vides quemadmodum per varia humana quedam hominum ſenſus & cogitatus, captiones ejus-*

A „ modi emanarint. Eoque hæreſes dicuntur, quod „ hominum ſint variæ ſentientium opinionès. Sed „ Chriſtianorum hæc fides nequaquam humano aliquo „ ſenſu vel judicio conſtat, & ideo nec nomen aliquod „ forſita eſt iſtiusmodi, ut hæreſis diceretur.“ Hac ille. Sententia ergo quam pro ſuo arbitrio ſibi quiſque eligit, hæreſis appellatur. Hinc (mea ſententia) viri Catholici nomen hæreſes contrahentes, aſſertionem à vera fide deviantem hæreſim appellavere, quaſi non à Deo habitam aut revelatam, ſed hominum electione inventam, nec ſacris litteris conformem, ſed veritati fidei repugnantem. Omnis enim veritas ad fidem ſpectans, cui credere tenemur lege divina, à Deo ipſo revelata eſt, nec ex hominum electione pender. Alioqui ſi ex hominis electione penderet, quiſque impune illi diſſentire valeret: cui manifeſte obviat Paulus, qui in prima ad Corinthios epiſtola capite ſecundo ſic ait: *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilitibus humana ſapientiæ verbis, ſed in oſtentione ſpiritus & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed virtute Dei*. Si ergo aliquid humana ratione inventum eſt, illud minime fides eſt. Quo ſit, ut ſi res ſe offerat, ad cujus alteram ex oppoſitis partem tuendam fides nos cogat, ibi aſſertionem contrariam, hæreſim appellemus. Sic igitur evenit, ut hoc nomen hæreſis quod Ethnicis promiſcuum eſt omni opinioni, ſive veræ, ſive falſæ, theologis, qui eo paulo contraſtione ſignificato utuntur, ſit inſame, eo quod in fide, in qua oportet captivare intellectum in obſequium Chriſti, proprii judicii ſententia præfertur ſacris litteris, aut Ecceſiæ definitioni, aut Conciliorum traditionibus. Qui autem ſacris litteris, aut Ecceſiæ definitionibus.

zibus contradicit, Spiritui Sancto hujus rectori & illarum auctori contradicit: (Luc. 10. 16.) *Qui vos, inquit Christus, spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Et alibi: (Joann. 1. 2. 48.) *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicat eum.* Qui ergo, Ecclesia contempta, aut sacris litteris possibilibus, soli suæ prudentiæ innititur, adeo arrogans est, ut huic vere tribui possit, quod dicit Paulus: (1. Thes. 2.) *Qui extollitur supra omne quod dicitur Deus.* Quam superbiam idem gentium Doct. alibi clarius exprimit, dicens: (1. Tim. 6.) *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu-Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrina, superbus, nihil sciens, sed languens circa questiones & pugnas verborum.* Nolle etiam acquiescere (ut est in primo Regum) quasi peccatum ariolandi est. Gravissimum ergo peccatum est propriæ sententiæ adeo tenaciter adherere, ut præ illa quis Ecclesiam contemnat, quæ à Deo regitur. Unde Greg. „Cum ne-“, quissimi spiritus uniuscujusque animam in pravus operibus involvunt, sed integritatem fidei vitare non possunt, quasi adhuc inferiora membra polluant. „Qui autem in fide corruptum sunt, usque ad veritatem, cem contrupantur. Malignus enim spiritus ab im-“, mis membris quasi ad summa pertingit, cum acti-“, vam vitam polluens, castam celsitudinem fidei, dif-“, fidentia morbo corrumpit.“ Hæc ille. Vides hic, ut quemadmodum fides est basis totius Christianæ virtutis, ita hæresis fit totius nequitiæ complementum. Hæc ergo de causa, & non merito, hæresis nomen Christianis famulosum est, quod Ethnicis est promissivum: quod apud hos liberum sit cuique pro iudicio sentire: apud illos vero, quantumlibet rationes urgeant, numquam licebit aliud quam Ecclesia sentire. Offensa ergo nominis ratione, superest ut rei definitionem statuamus. Hæresis est dogma falsum fidei orthodoxæ repugnans. Dicimus hic, dogma falsum, omnem enuntiationem falsam, sive illam quis dogmatizat, sive illam secum tacitus affirmet. Nam utrumque hæresis esse potest. At præter enuntiationem hæresis esse potest. At præter enuntiationem hæresis nequit inveniri. Sola enim res effecta, absque iudicio intellectus definitis peccatum esse potest, hæresis autem minime. Qui enim furatur, est contra scripturam id fieri vetantem agat, non est hæreticus, nisi credat furtum non esse peccatum. Fornicationem sacra Scriptura prohibet, at qui fornicatur, nisi hoc impune fieri credat, non est censendus hæreticus. Opus ergo solum sine intellectu errore, hæresis non est, quantumlibet opus sit ex Scriptura prohibitu. Propter quod admonere oportuit, ut cum simoniam aliquando hæresim appellari audieris, intelligas non opus ipsum quo simonia committitur, esse hæresim, sed errorem quo credit spiritualia esse venalia. Sic enim vocatur à Gregorio Nazianzeno in fragmento quodam à Gratiano posito prima questione prim. capite, qui student. Sed obtabit quispiam, si res acta, intellectu minime circa eam errante, hæresis non est, quare deprehensus in exercitio Judaicæ ceremoniæ, aut alicujus ritus Sarracenorum, ut puta quia Sabbatum observat, aut agnum Paschalem comedit, velut hæreticus puniatur? Quod si ex facto dicas suspensionem oriri, ut id quod facit, ita esse faciendum credat: cur non eadem ratione fur aut fornicator anam suspensionis præstat, ut suspicemur illum sic facere, quia sibi licere credit? Cui objectioni responderetur, magnum esse inter hæc & illa discrimen. Sunt enim aliqua peccata ad

quæ homines sunt natura proclives, ut sunt carnis illecebræ, auti sacra famæ, honoris appetitus. Hæc ergo cum talia sint, ut in illa præcipites feramur, etiam repugnante conscientia agimus. Sunt alia peccata, quæ secus se habent, ad quæ voluntas non fertur, eo quod nihil habent quo possint allicere voluntatem: quapropter cum ad illa voluntas indifferens ac dubia sit, intellectum consulit, ut sciat quid factu opus sit: neque in his repugnante conscientia aliquid agere tentat. Est enim intellectus voluntati à consiliis. Szepnumero autem accidit, ut Rex, inconsultus omnibus, immo omnium consilio possibilibus, in id ad quod pronus est, præceps ruat, & quod libere agit: cum tamen sæpissime in reliquis consulentibus cedat, & ex eorum consilio fieri omnia præcipiat. In his ergo ad quæ voluntas non est prona, nusquam intellectus iudicio spreto aliquid operatur. Ad ceremonias autem has vel illas observandas, nulla est à natura pronitas in voluntate, nisi forte ex consuetudine exequendi eas, quæ altera est natura. Idcirco vehementer est suspicio, ut ibi voluntas regatur ab intellectu, ita ut quod facit, sic credat esse faciendum. Sic enim Salvator ait (Math. 7.) *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Nam (ut Aristoteles tertio Ethicorum ait) qualis est unusquisque, talia dicit & operatur. Ex hac sola (ut opinor) ratione simoniacus appellatur hæreticus à Gregorio in registro, dicente: Quisquis per pecuniam ordinatur, ad hoc ut hæreticus fiat, ordinatur. Nam ex hoc quod impetabile licetur, verisimile est eum male sentire de sanctitate Ecclesiæ, quasi credat eam velle spiritualia liceri, quam tamen Ecclesiam credere tenetur sanctam, immaculatam, sine macula & sine ruga. Ecclesia igitur de his quæ foris patent, iudicat: quæ non est dubium esse mala. An autem intellectus sit concors operi necne, Deus novit qui intuetur cor. Homines autem nesciunt nisi quæ foris patent: quamquam vehementer est suspicio, ut in illis magna sit intellectus ad opus conventio. Et hæc de causa puniuntur ex facto istorum vel hæreticus, qui propter alia opera, quantumlibet per sacram Scripturam prohibita, minime ut talis puniatur, eo quod ibi suspicari non liceat, ut quod facit, sic credat esse faciendum. Ut ergo ad propositam hæresis definitionem redeamus: colligamus, nullibi hæresim reperiri posse sine errore intellectus: omnis enim hæresis dogma falsum est: at non omne dogma falsum hæresis est, cum multi sint errores, in quibus (etsi pertinacia adesse) nullum peccatum est. Fuisset tamen grave peccatum (ut jam diximus) si hæresis esset. Non est ergo omnis error censendus hæresis: quia nec omnis veritas ad fidem Catholicam pertinet. Non enim exigitur à Christiano ut sciat numerum & vim elementorum, motum & ordinem & effectus syderum, naturas animalium, fructum, fontium, lapidum, & alia innumera: quæ etsi Christianus ignoret, aut circa illa erret, falsum pro vero asserendo, nullum peccatum est. Unde Augustinus in Enchiridio capite vigesimo primo. „In“, his atque huiusmodi falsitatibus, falsa fide quæ in

„Deo nobis est, fallimur: & via non relicta quæ ad illum nos ducit, erramus. Qui errores etiam si peccata non sunt, tamen in malis huius vite deputandi sunt, quæ ita subiecta est vanitati, ut approbentur hic falsum, si pro veris, respuantur vera pro falsis, teneantur incerta pro certis. Quamvis enim hæc ab ea fide absint, per quam ad veram certamque atque æternam beatitudinem tendimus, ab ea tamen miseria non absint in

„qua

„qua adhuc sumus.“ Hæc Augustinus. Jam vides qualiter non omnis error appellandus est hæresis, sicut nec omnis veritas fides appellatur. Error ille qui fidei Catholicæ obviat, hæresis dicitur. Merito ergo hæresim superius definitivimus quod sit dogma falsum, fidei orthodoxæ repugnans. Propter quod merito querendum erit, quæ sint illa quibus fidem adhibere tenemur. Opposita enim ex mutua collatione facilius cognoscuntur. Sic enim postquam cognoverimus quæ sint illa quæ ad fidem Catholicam spectant, manifeste colligitur, ut omne quod illis repugnare certo sciverimus, hæresim esse decernamus. Inde etiam ostendetur, quibus armis utendum erit ad hæreses expugnandas. Fides autem Catholica, quam indubie tenere oportet, est ea quam sacrae litteræ produnt. Et non solum hæc, sed quidquid (etiam sine sacris litteris) sancta mater Ecclesia universali traditione nobis credendum proponit. Si ergo quodlibet horum divina lege credere tenemur: sit necessario, ut quidquid alicui credere repugnat, hæresis esse credatur. Ideo oportet ut singula hæc, singulis capitulis differamus. Et primo quæ sunt scripturæ, quæ pro canonice habendæ sunt, inquiramus.

C A P U T I I.

De Scripturis Canonicis quibus hæreses revincendæ sunt.

Quum ergo adversus hæreticos sit nobis pugna designata, expediens mihi videtur ut arma quibus dimicandum erit, prius assignentur. Sic enim in carnali militia videmus, ut provocanti ad singulare certamen & provocato similissima sint arma. Non enim fas est cuique pro libito armis uti, sed ea oportet utriusque esse paria simillimaque. Quo fit ut ante congressum prodantur arma quibus certaminis periculum subeundum est: in qua re sæpenumero evenit, ut non modica sit ante pugnam de telis eligendis dissensio, cum inter eos de hære non convenit. Neque multum ab hoc instituto distat disputandi ratio. Sunt enim in unaquaque scientia principia in ea notissima, tamquam communia omnibus arma, quibus sublati (ut Aristoteli placet) nullus disputationi relinquatur locus, nullumque telum quo confingere possis adversarium. Ne ergo in posterum pluries discipandum esset de Scriptura, oportuit primum statuere quæ canonica sit, cui credere quisque teneatur. Nam sicut in aliis scientiis prima eorum principia, nullus qui eas profiteretur, negat: ita in negotio fidei, pro unico, & indubitato principio, à quolibet qui se pro Christiano gerit, haberi debet, verum esse quidquid in sacris Codicibus continetur. Credi enim par est non solum à Christiano, verum & ab Ethnicis vel mediocriter pio, & contra quem solum quæ naturali ratione haberi possunt, sentienti: Deum adeo veracem esse, ut meriti nequeat. Si ergo Deus mentiri non potest, Scriptura ab eo condita, falsa perinde esse nequit. Et quicquid per aliorum ora Deus nobis insinuare voluit, erit perinde verum, ac si ab eo ipsius Dei prodisset. *Locutus est namque Dominus Deus Israel* (ut ait Zacharias apud Lucam 1.) *per os Sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum ejus.* Et Propheta regius testatur linguam suam calamum esse scribæ velociter scribentis. Hoc epitheto Spiritum Sanctum designans, cuius gratia (ex Ambrosii sententia) tarda molimina nescit. Hoc etiam vel ipsorum Prophetarum testimonio evidenter patere potest, cum solemne sit apud eos hæc addere, *Hæc dicit Dominus Deus.* Cui sententiæ

addipulatur Paulus (Hebr. 1.): *Multifariam, inquit, multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Ecce qualiter Pauli testimonio Deum ore Prophetarum locutum fuisse constat. Et beatus Petrus eandem sententiam docet, dicens: (2. Pet. 1.) *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines.* Et ipse Dominus Deus cuidam Prophetae dicit (Hierem. 15.) *Si separaveris speciosum à vili, quasi os meum eris.* Denique Dominus in Evangelio, cum discipulos ad prædicandum mittit, fiduciam eis quasi parum ad loquendum audacibus, dicit (Math. 10.) *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Ex quibus manifeste colligitur scripturas aliquas divinas esse, illas scilicet quas homines alicui Deo inspirante scripserunt: immo (ut verius dicam) quas Deus ipse manibus hominum scripsit. His omnibus fidem integram præstare debemus, nec eis magis quam Deo illarum auctori refragari licet. Harum ergo Scripturarum testimonia, tanquam prima in hac scientia principia, & velut arma omnibus communia suscipienda sunt, quibus & hæreticum fidei veri oportet, & nos adversus eundem pugnare. Est enim Sacra Scriptura, turris David cum propugnaculis munita, ex qua mille clypei pendunt, omnique armatura fortium. Hæc est etiam torrens unde David lapides sumpsit, quibus superbum Goliath prostravit. Arma Saulis, quæ magis gravantes quam juvant, ratiocinationes sunt ex humana prudentia manantes. „Nam (ut dicit Hieronymus in „Epistola ad Theophylum Alexandrinum) fides pura & „aperta confessio, non querit strophas & argumenta „verborum.“ Unde patet misere errasse Felicianum hæreticum Arrianum dicentem, in causa fidei magis rationibus, quam Scripturarum testimonio utendum esse. Illa enim circa quæ nostra fides versatur (ut alias longiori tractatu differemus) supra omnem rationem sunt, nec ad ea investiganda nostri intellectus lucernula sufficit, lumen effundere sufficiens. Unde Basilii in expositione C Psal. 115. sic ait: „Denique in quolibet studio, quod „ordine in finem procedit, impossibile est primum sub- „jectorum demonstrationes inquirere, sed necesse om- „nium artium, quæ probatione nituntur, principia sine „vestigatione aut ratione posita, reliqua quæ deinceps „sequuntur cum ratione offendere. Sic & theologiæ my- „sterium ex fide minime rationibus probata ædificium „querit.“ Hæc Basilii. Velle igitur rationibus convincere, Sacram Scripturam esse veracem, tanta mihi videtur dementia, ac si quis vellet rationibus fulcire prima alicujus scientiæ principia. Sacram Scripturam esse veracem axioma est cuiuslibet se pro Christiano gerenti, & contra quem solum quæ naturali ratione haberi possunt, sentienti: Deum adeo veracem esse, ut meriti nequeat. Si ergo Deus mentiri non potest, Scriptura ab eo condita, falsa perinde esse nequit. Et quicquid per aliorum ora Deus nobis insinuare voluit, erit perinde verum, ac si ab eo ipsius Dei prodisset. *Locutus est namque Dominus Deus Israel* (ut ait Zacharias apud Lucam 1.) *per os Sanctorum qui à seculo sunt Prophetarum ejus.* Et Propheta regius testatur linguam suam calamum esse scribæ velociter scribentis. Hoc epitheto Spiritum Sanctum designans, cuius gratia (ex Ambrosii sententia) tarda molimina nescit. Hoc etiam vel ipsorum Prophetarum testimonio evidenter patere potest, cum solemne sit apud eos hæc addere, *Hæc dicit Dominus Deus.* Cui sententiæ

„que libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos

„ca-

4
 canonicos novi & veteris Testamenti. Quæ autem oportet legi, & in auctoritatem recipi, hæc sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesu Nave, Judicum, Ruth, Regum libri quatuor, Paralipomenon, libri duo Esdræ, liber Psalmorum, numero centum quinquaginta, Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Cantica canticorum, Job, Hester, Duodecim prophetarum libri, id est, Osee, & Amos, Joel, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. Novi testamenti, id est, Evangelium secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem, Actus Apostolorum, Canonice epistolæ. 7. Jacobi una: Petri duæ, prima, & secunda: Joannis tres, prima, secunda, & tertia: Judæ una: Epistolæ Pauli numero 14. ad Romanos, ad Corinthios, prima, & secunda, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses una: ad Colossios, una, ad Thessalonicenses, prima & 2. ad Timotheum duæ, prima & secunda, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Hæc Concilium Laodicenum. Sed jam video quantum exultet hæreticus ex ratione librorum in hoc catalogo assignata, cum videat per seque ibi omitti, qui passim pro canonicis habentur. Nam & hoc maxime cupiunt hæretici, ut omnes quot potuerint libri à canone auferantur, neque in catalogo sacrarum voluminum connumerentur. Vident enim non licere auctoritati cujusque Scripturæ sacræ repugnare: quapropter summo opere nituntur Scripturas minuere, ne arma habeamus quibus eos confingere possimus. Cujus rei vel hoc testimonium efficacissimum esse potest, quod si forte contra suam asseritionem adferatur ex quopiam sacræ Scripturæ libro locus aliquis tam apertus, ut non patiar adulterinam aliquam expositionem, sicque claudat hæreticum, ut nullam illi rimulam, qua elabi possit, relinquat; statim ad hoc eis commune asylum confugiant, ut non vereantur inficiari librum illum esse canonicum, aut ullo modo ad sacræ Scripturæ pertinere. Dicit ergo hæreticus quispiam: Ecce Laodicenum Concilium in Spiritu Sancto congregatum de libris canonicis definit, nec tamen inter eos commemorat librum Tobie, aut Judith, aut Sapientie, aut Ecclesiasticum, aut Machabæorum libros, aut Apocalypsim; non sunt ergo hi pro canonicis habendi. Hæc collectio cuiquamque vel parum docto logico est infirma. Nam etsi sufficiens argumentum ad probandum aliquid sit, quia iste aut ille idem dicit, non tamen sufficiens est ad aliquid negandum, quia ille non dicit. Quo fit ut ex hoc quod libri præfati à Concilio Laodiceno prætermisisti sunt in ratione sacrarum librorum reddenda, non oporteat libros illos à sacro instrumento esse rejiciendos. Cæterum fieri potuit, ut tunc de libris illis fuerit ab eis dubitatum, & in re tam seria noluisse temere quicquam definire, donec plenus fuisset edocti. Sed insit hæreticus. Si dubitatum est ab illis in Spiritu Sancto congregatis, qualiter nos audemus veluti certi asserere, de quo illi dubii fuerunt? O forte argumentum! Quid cogit ut perpetuo dubitetur, quod semel dubitatum est? Respondet vel parum eruditus logicus, sint ne sufficiens hæc collectio: Olim dubitatum est de hac re: ergo nunc dubitatur: olim licuit veteri in dubium: nunc ergo licebit. Prima collectio clare ostenditur infirma ex hominis profectu in addiscendo, ut continuo dicendo proficiat, quo fit ut plura nunc certo sciat, quæ olim vel sibi erant dubia, vel penitus ignota. Cur non idem dicendum de Ecclesia in membris ejus? Britæ Ecclesia semper in eodem

dem statu, ut nunquam proficiat? Absit. Proficit enim ut in virtutibus & bonitate, ita in scientia & doctrina. Deo eam quotidie plenius illustrante. Propter hoc in Canticis Ecclesia comparatur auroræ. (Cant. 6.) Quæ est ista, inquit, quæ progreditur quasi aurora confurgens? Aurora autem temporis successu magis splendet, vehementius rutilat. Sic etiam fit velimus Ecclesiam à calce (ut dicitur) ad carceres revocare, quam parva lux in principio nascentis Ecclesiæ? five eam ad Abel usque justum referas, five ad mortem Christi, quando nova surgit à Cælo: tunc enim paucissimis notum mysterium illud absconditur. Illi etiam quibus nosse datum est (Apostolos excipio) non tam plene & perfecte sicut posteris. Nimirum progreditur aurora, confurgitque sol, effunditque ob oculos nostris lucis suæ uberores radios. Quo fit ut multa nunc sciamus, quæ à primis patribus aut dubitata, aut profus ignorata fuerunt. Secunda collectio ostenditur debilis, immo inanis, ex mutatione rerum, ex qua oritur etiam decretorum variatio & mutatio: unde evenit ut quod olim licebat, jam non liceat. Cæterum cum res quæ ad fidem pertinent, non statim sint & fixæ, neque ex hominum pendant voluntatibus, in hac re (ut alias dicemus) decretorum innovationes non proveniunt ex novitate rerum, sed ex nova illarum rerum scientia: quibus compertis, Ecclesia à Spiritu Sancto edocta, definit. Qua definitione data, non licet dubitare, de quo antea licebat. Beatus Cyprianus in Epistola ad Donatum inter multa mala quæ numerat, hoc unum audiui dignum est, fieri posse quod factum est. Alioqui si diceret omnia veteri in dubium, quæ olim dubitata sunt: licebit perinde dubitare, an obligemur ad observantiam legitimum, an baptizati ab hæreticis rebaptizandi sint. Nam hæc olim ab illustribus viris Ecclesiæ dubitata sunt. Nec tamen ideo nunc dubitare licet, Ecclesia illud fieri vetante. Ad hunc modum olim ab aliquibus dubitatum est de libro Sapientie, an esset Salomonis. Ab aliis de libro Tobie, an esset canonicus. Ab aliis de libro Judith, eadem ratione. Ab aliis de libris Machabæorum simili de causa. Ab aliis de epistola ad Hebræos an esset Pauli. Ab aliis de epistola quæ sub nomine Jacobi circumfertur, an sit ejus. Ab aliis denique de libro Apocalypsis. Nunc vero jam nulli de hac re dubitare licet, quia Ecclesia postmodum divino spiritu amplius illustrata, censuit libros præfatos meliorem quam antea lapillo numerandos, quod patet ex Concilio tertio Carthaginensi in suorum decretorum cap. 47. sic definitente. Concilium Carthaginense. Item placuit ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem Scripturæ canonicæ. Primus Genesis, Secundus Exodus, Tertius Leviticus, Quartus Numeri, Quintus Deuteronomium, Sextus Jesu Nave, Septimus Judicum, Octavus Ruth, Nonus Regum lib. quatuor, Paralipomenon lib. 2. Job unus, Psalterium Davidicum, Salomonis lib. 5. Libri duodecim Prophetarum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Hester, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo. Novi autem Testamenti, vigintiseptem. Evangeliorum libri quatuor. Actuum Apostolorum liber unus. Pauli Apostoli, totiusseptem. Eiusdem ad Hebræos. 1. Petri Apostoli. 2. Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, & Jacobi una, Apocalypsis Joannis lib. 1. qui sunt vigintiseptem. Hæc Concilium Carthaginense terendum, cui interfuit beatus pater Augustinus. Vides hic nullum librum prætermisistum eorum qui in sacro volumi-

mine passim circumferuntur, præter duos Esdræ: reliquos autem omnes sacræ Scripturæ connumeratos. Hanc eandem rationem sacrarum librorum reddidit Innocentius Papa hujus nominis primus in epistola ad Exuperium Tolosanum Episcopum circa finem, quæ epistola habetur in libro Conciliorum, sub hoc titulo, Decreta Innocentii Papæ. Is enim Pontifex factus, perinde ac doctus, sic ait: Qui vero libri recipiantur in canone sanctarum Scripturarum, brevis annexus ostendit. Hæc sunt ergo quæ desiderata moneri voce voluit. Mosis lib. 5. id est Genesis, Exodus Leviticus, Numeri, Deuteronomium, necnon & Jesu Nave, & Judicum, & Paralipomenon. 2. Item novi Testamenti Evangeliorum lib. 4. Pauli Apostoli epistolæ. 14. Epistolæ Joannis tres, Epistolæ Petri duæ, Epistola Judæ, Epistola Jacobi, Actus Apostolorum, Apocalypsis Joannis. Hæc Innocentius. Ecce eisdem libris à Pontifice summo, sancto simul & docto, inter canonicos annumeratos, quos Concilium Carthaginense tertium illo ferme tempore sacros & canonicos censuit. Beatus Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana. cap. 8. eundem etiam librorum catalogum recenser. Ex quo Augustini loco serupulus tollitur, qui forte quempiam urgere poterat ex catalogo librorum sacrarum superius citato ex Concilio Carthaginensi, & Innocentio Papa. In utroque siquidem loco adscribuntur quinque libri Salomonis: quod fieri nequit nisi Ecclesiasticus tribuatur Salomoni, quem constat non esse Salomonis, sed Jesu filii Syrach. Verum hic serupulus tollitur per ea quæ Augustinus dicit illo octavo cap. secundi libri de doctrina Christiana. Sic enim sacros libros enumerans, ait: Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus filius Syrach eos scripsisse constantissime perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Hæc Augustinus. Verum de eo quod dixit librum qui dicitur Sapientia, esse Jesu filii Syrach, postea recantat in secundo libro Retractionum, cap. 4. sic inquires: In secundo sane libro de auctore libri quem plures vocant Sapientiam, Salomonis, quod etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus filius Syrach scripserit, non ita constanter sicut à me dictum est, postea dicit, & omnino probabilis comperi non esse hunc ejus libri auctorem. Hæc Augustinus. Qui etsi dicat librum sapientie non esse Jesu filii Syrach, nec tamen dicit esse Salomonis, nec etiam retractat id quod alibi dixerat, utrumque librum, Sapientiam scilicet & Ecclesiasticum, propter quandam similitudinem, cum libris Salomonis, dictos esse illius. Atque ita sive Sapientia sit Salomonis, sive non, intelligimus quo pacto fieri possit, ut Salomonis libri sint quinque, quemadmodum Concilium Carthaginense refert: quoniam Ecclesiasticus etsi sit à Jesu filio Syrach editus, tamen propter similitudinem cum aliis Salomonis libris, sæpe dicitur esse Salomonis. Et merito meo judicio Salomonis dici potest, cum multa sint in libro illo ex Salomonis libris mutuata. Et juxta hunc modum benigne interpretari oportet eos omnes doctores qui citantes aliqua ex libris Ecclesiastici, testimonia, citant illa sub nomine Salomonis, tamquam ille fuisset illius libri auctor. Nam

5
 Sixtus Papa hujus nominis secundus in epistola ad Gratianum Episcopum, citat sub nomine Salomonis illa verba quæ habentur in Ecclesiastico: (Eccle. 24.) Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam. Et Marcellinus Papa in epistola ad Salomonem Episcopum, citat sub nomine Salomonis illa verba: Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis, quæ verba constat esse ex cap. 24. Ecclesiastici. Sed hæc eorum sententia benigne interpretanda est juxta eum modum, quo Augustinum interpretari diximus, ita ut à Salomone dicta esse intelligamus, quia maximam habet cum dictis Salomonis similitudinem. Nisi forte velimus dicere Pontifices illos, citando illa præfata sacræ Scripturæ testimonia, fuisse lapsos memoria, putantes ea quæ in Ecclesiastico sunt, contineri in proverbii Salomonis. Nam hoc contigisse Joanni Papæ hujus nominis secundo, apertissime convincitur ex epistola illius ad Valerium Episcopum, in qua citat sub nomine Salomonis, hæc verba: Qui genuit me requievit in tabernaculo meo. Quæ verba continentur in illo præfato cap. 24. Ecclesiastici. Quod autem in citatione eorum verborum fuerit lapsus memoria, aperte convincitur per verba illius quæ statim addidit. Nam post citationem illorum verborum, confessum subdit hæc verba. Et Ecclesiasticus, sicut est ab initio, ita usque in sæculum, nec adjectum est ei, nec minuetur illi. Ex qua citationum varietate constat illum posuisse discrimen inter Ecclesiasticum & libros Salomonis, & illum putasse primum testimonium ab eo citatum non esse ex Ecclesiastico, sed ex libris Salomonis. Deinde post multa tempora celebratum est Concilium Florentinum, in quo de libris Canonicis sacræ Scripturæ specialis ratio habita est, & de illis speciale datum est Decretum, sequentium verborum tenore. Septimo decernimus unum, atque eundem Deum veteris ac novi Testamenti, hoc est, legis & prophetarum atque Evangelii profitemur, auctorem. Quoniam eodem spiritu inspirante utriusque testamenti sancti loquuti sunt, quorum libros suscipit & veneratur Ecclesia, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon, non, Esdras, Nehemias, Tobias, Judith, Ester, Job, Psalmi David, Parabole, Ecclesiastes, Cantica, Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, Baruch, Ezechiel, David. Duodecim prophetæ minores, id est, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum: Quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Quatuordecim epistolæ Pauli, ad Romanos, Duæ ad Corinthios, Ad Galatas, Ad Ephesios, Ad Philippenses, Duæ ad Thessalonicenses, Ad Colossenses, Duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri duæ, Joannis tres, una Jacobi, una Judæ, Acta Apostolorum, & Apocalypsis Joannis. Hæc Concilium Florentinum. In quibus verbis id potissimum annotandum est, nullum illorum librorum qui in communibus Bibliis circumferuntur, hic fuisse omissum, immo potius additum esse librum Baruch, qui in nullo alio Concilio fuerat expresse nominatus. Hunc tamen ideo ab aliis omissum fuisse puto, quod illum sub nomine Hieremias comprehendere posse censebant, propterea quod Baruch (ut ipsa sacræ Scripturæ constat) scriba fuit Hieremias prophetæ. Denique, ut huic negotio

finem imponamur, Concilium Tridentinum sub Paulo tertio, & Carolo Cæsare hujus nominis Quinto celebratum, me presente, in quarta sessione eundem sacrorum librorum catalogum amplexatum est, sic inquit: „ Sacrorum vero librorum iudicium huic decreto adscribendum sacrosancta Synodus censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti. Testamenti veteris, Quinque Moyses, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus qui dicitur Nehemias, Thobias, Judith, Ester, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetæ minores, id est, Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Abachuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, Duo Machabeorum, Primus, & secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti, Quatuordecim epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenes, ad Colossenses. Duæ ad Thesalonicensis, Duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, & Hebræos. Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit.“ Hucusque Concilium Tridentinum. Quibus verbis nihil potest aperius pro confirmatione Catalogi sacrorum librorum dici. Post istas jam enumeratas scripturas, non est alia quæ canonica scriptura aut divina mereatur appellari. Nam quamvis alia multa sint quæ magnam habeant auctoritatem, multo tamen prænumeratis imparem. Canones siquidem Apostolorum numero quinquaginta per Beatum Clementem (ut dicitur) aut collecti, aut translati, primum post Scripturas sacras tenent locum. Quapropter Beatus Damasceus in quarto libro de fide orthodoxa, recensito canonico librorum catalogo, continuo post subjungit, & canones Apostolorum per Clementem: & Beatus Isidorus in volumine quo omnium Conciliorum decreta congesti, canones Apostolorum ante omnium Conciliorum decreta locavit: non quod major sit illorum auctoritas, quam cuiuscumque generalis Concilii, ut decet, congregati, sed propter Apostolorum, ut suspicor, majorem reliquis omnibus & sanctitatem & dignitatem. Conciliorum siquidem omnium probe congregatorum decreta, ut postmodum ostendemus, firmissimam habeant auctoritatem, quibus nemini licet repugnare. Nec tamen ideo Conciliorum decreta, sicut nec Apostolorum canones, pro Scripturis divinis habenda sunt, cum divinas præceptiones nulli liceat evertere aut immutare, Apostolorum autem canones, & Conciliorum decreta, novis succedentibus causis in multis antiquata sunt. Post Conciliorum decreta proximum locum tenent decretales epistolæ à Summis Pontificibus emissæ: longe tamen in his quæ fidem Catholicam spectant, à Conciliorum definitionibus earum auctoritas abest. Sed quia ex hac mea assertionem quispiam forte ausam suspicionis accipiet, me

hoc loco velle docere Papam esse Concilio inferiore, decrevi hanc suspicionem tollere: quoniam dum de hac re variæ sint theologorum non infamæ sortis sententiæ, nolo in presentiarum aut uni aut alteri subscribere. Non est enim intentionis meæ varias hominum opiniones in hoc opere discutere, in quo solam catholicam & synceram fidem pertractandam suscepi. Sive igitur Papa sit superior reliquo Christianorum Concilio, sive inferior, aliis & in alium locum disputandum relinquens, hoc unum constanter assero, eas fidei definitiones, quæ à pleno & integro Concilio, & recte (ut decet) congregato datæ sunt, hoc est, quibus Papa & reliqui in Concilio Congregati subscribere, majoris esse roboris & momenti, quam illas quas solus Pontifex definit. Nam hoc tale Concilium quod Papæ auctoritate & consensu recte Congregatum est, non posse in fide errare, ab omnibus veris Christianis firmissime hucusque creditum est: & nos alibi, Deo duce, apertissime ex sacris litteris convincemus. At Papam solum abique Congregatione Concilii posse in iis quæ ad fidem spectant errare, multo non contemnendæ auctoritatis theologo asseruerunt: immo aliquos Pontifices summos in fide errasse compertum est. Deinde si tanta esset solius Papæ auctoritas, quanta totius Concilii plene & recte Congregati, frustra tantus labor pro conciliorum Congregatione sumeretur. At cum semper iudicatum fuerit Conciliorum Congregationes maxime esse momenti ad lites, quæ de rebus fidei emergere subinde contingit, tollendas, convincitur inde aliquid magis esse auctoritatis penes totum Concilium recte (ut decet) Congregatum, quam penes solum Pontificem. Unde manifeste error Gratiani reprehenditur, qui in volumine decretorum in exordio distinctionis viceimæ, ita dicit: Decretales itaque; epistolæ canonibus Conciliorum pari jure exæquantur. Hoc autem vel ex eo convincitur esse falsum, quod nulla recta ratio patitur ut regula quæ à rectitudine deviare potest, ullo pacto æquetur rectissimæ atque certissimæ infallibilique regulæ. Quod si forte in Gratiani excusationem quis dixerit dictum illius ad solas causarum definitiones esse referendum, in quibus decernendis (excepta semper fidei causa) non minor est Papæ potestas, quam totius Concilii: hæc interpretatio etsi verum habeat sensum, nescio tamen an vere scriptoris mentem exprimat: quoniam idem auctor distinctione decima nona ejusdem libri, capite in canonicis scripturis, dicit decretales epistolæ esse scripturas divinis annumerandas, & in earum ordinem referendas: motus auctoritate Augustini male intellecta, corrupteque citata. Sic enim eam citat Gratianus: In canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurimum divinarum scripturarum solertissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sint quas apostolica sedes, & ab ea alii meruerunt accipere epistolæ. Hæc ibi. Quam litteram si Augustinus legeret, validissime oppugnaret: tantum abest ut sit Augustini. Ex ea enim plurima Christianæ fidei incommoda obvenirent. Primo ut littera illa haberet, oportet divinis scripturis annumerare non solum epistolæ quas Pontifices aliis dedere, sed quas ab aliis receperunt. Hæc autem adeo manifesta est ineptia, ut non sit opus eam oppugnare. Quod autem ex ea littera hoc habeatur, quis non videt? Sic enim ait, Inter quas, scilicet scripturas divinas, sane illæ sint quas Apostolica Sedes & ab ea alii meruerunt accipere epistolæ. Præterea decretales illæ epistolæ per alios posteriores Pontifices, aut per eosdem à quibus missæ sunt, revo-

cari possunt, sicut de multis factum esse constat, pro qua re commune est eorum proverbium. Par in parem non habet imperium. Quæ sententia significare voluit priorum Pontificum decretis non teneri Pontifices posteriores, quin liberum sit eis, cum viderint, ea revocare. Quo solo argumento satis edocent eorum decretales epistolæ non esse scripturas divinas, cum has toti Ecclesiæ nedum Pontifici non liceat ullo pacto infringere. Rursus plurimæ Pontificum epistolæ decretales per contrariam consuetudinem abrogantur, quod nullo pacto canonicis divinis scripturæ libris convenire potest, cum illis nulla quantumlibet inveterata consuetudo obesse possit. Accedit huic, quod magna ruditas est, eas epistolæ quas sæpe ob res temporales easque parvi momenti adite sunt, divinis scripturis, vel longinquo conferre: tantum abest ut in earum ordinem referantur. Quod si forte Gratianus decretales illas epistolæ commendare volebat, per vera testimonia, quæ non desunt, eaque efficacissima, id faciendum erat, non per falsa: quoniam falsa, & conficta testimonia plus auctoritatis derogant quam arrogant. Nam ut cæteras decretalium epistolularum laudes prætereamus, quæ decima nona distinctione leguntur, vel ista sufficit, quod universalis Ecclesiæ consensu probantur, quoniam inter cæteros Joannis VVicleph errores condemnatos in Concilio Constantiensi, sessione octava, is unus est, quo sic ait: Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt Christi fide, & Clerici sunt stulti qui student eis. Verum ut dictis nostris plenior quique fidem adhibeat, cognoscatque Augustinum perperam à Gratiano intellectum, corrupteque citatum, operæpretium est veram Augustini litteram in medium adferre, eque veram intelligentiam edocere. Is enim beatissimus Pater in secundo libro de Doctrina Christiana capite octavo (nam ex eo libro sumptum est id fragmentum quod Gratianus citat) sic ait: In canonicis autem scripturis, Ecclesiarum catholicarum quam plurimum auctoritatem sequatur, inter quas sane illæ sunt quas apostolicas sedes habere, & epistolæ accipere meruerunt. Hæc Augustinus. Quæ longissime distat ab his quæ Gratianus adducit. Nam eo loco B. Pater Augustinus de libris canonicis scripturæ differens, hanc regulam nobis assignat, ut illi libri pro canonicis habeantur, qui à pluribus catholicis Ecclesiis recipiuntur, inter quas Ecclesiæ Augustinus firmiter credit eas esse computandas, quæ apostolicas sedes habuerunt: de eis scilicet Ecclesiis intelligens, quas Apostoli velut earum Episcopi rexerunt. Illas enim August. præcipuas esse catholicas Ecclesias credit, quæ epistolæ apostolicas accipere meruerunt, id est, quibus Apostoli suas dederunt epistolæ, ut Romanæ Ecclesiæ, Corinthiorum, Thessalonicensium, Colossensium, Ephesinæ, Hierosolymitanæ, Antiochenæ, aut Alexandrinæ, quas omnes Apostoli aut verbis docuerunt, aut scripto. Quare Augustinus putabat eas copiosius in fide illustratas esse oportere, quod firmiore, ac pleniori apostolicum habuissent sermonem. Nec immerito tunc id credebatur beatissimus Pater, quoniam nondum ab hostibus Christianæ Religionis provincia illa captæ populataque fuerant. Putavit autem Gratianus illud pronomen relativum, videlicet quas, ubi dicitur, inter quas sane illæ sunt, quæ &c. ad scripturas debere referri: quod non ita se habet, sed ad Ecclesiæ referendum est: quod ex sequentibus maxime patet, quibus illa minime coherere possunt: nam scripturæ divi-

non habuerunt sedes apostolicas, nec recipere possunt epistolæ apostolicas. Verum ut littera suo sensui coherere possit, litteram Gratianus mutare decrevit, & loco alterius relatiivi ab August. nominativo casu positi, f. quæ illæ posuit accusandi casum, & dixit quas, ubi Augustinus dixerat apostolicas sedes in accusativo, ille dixit apostolica sedes in nominativo. Sed quoniam his permutatis litteræ sensus adhuc minime constabat, aliquid addere aliquidque minuere ei visum est. Nam ex littera Augustini abstitit hoc verbum habere, addiditque ex suo cerebro hæc tria verba, scilicet, ab ea alii. Atque ut semel dicamus, ubi littera Augustini sic habet: Inter quas sane illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere, & epistolæ accipere meruerunt, Gratiani littera ad scripturas divinas relata sic habet: Inter quas sane illæ sunt, quas apostolica sedes, & ab ea alii accipere meruerunt epistolæ. Quorum litterarum differentiam facile quilibet agnoscat. Ex quo loco quique facile colligit quantum inter sit utrum ex ipsis purissimis fontibus aquam haurias, an ex turbulentis rivis, aut putridis lacubus. Nam si Gratianus illum locum in Augustino legisset, vir alioqui (ut puto) doctus, clare errorem deprehendisset, etiam si littera viriata fuisset in eo codice quo utebatur: præcipue si considerasset beatum Augustinum, qui libros de doctrina Christiana se componere ob sacrarum litterarum intelligentiam profertur, nullo pacto de sumorum Pontificum decretalibus epistolis fuisse locutum, nec ullam ante illa verba, aut postmodum de illis fecisse mentionem. Distorum siquidem intelligentia (ut Beatus Hilarius 4. de Trinitate docuit) ex causis dicendi sumenda est. Cum ergo Beatus Augustinus in toto illo tractatu de Doctrina Christiana semper versetur circa doctrinæ diviniæ revelatæ intelligentiam, vel inde colligere potuisset litteram illam nullo pacto ad decretales epistolæ esse referendam. Hoc etiam ex ipsius verbis Augustini in eode capite post relata verba subjunctis plene cognoscere potuisset. Nam post assignatas jam regulas ad scripturas canonicas dignoscendas, deinde expressis omnes eas nominibus propriis appellans, ait: Totus autem canon scripturarum in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: quinque Moyses, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Deuteronomio, & uno libro Jesu Nave. Atque ita per omnes libros, qui in communi Biblia deferuntur, discurrens, nullas recenset decretales Pontificum epistolæ, quam tamen illum dixerat esse totum canonem scripturarum, in quo capienda erat cauta illa quam prædixerat consideratio. Nec mirari quiquam debet quod pro hoc Gratiani errore convincendo tantum sudaverimus, quoniam sermo erat de capite, & non de umbra (ut dicitur) asini. Non est quidem res parvi momenti, an talis scriptura pro divina sit recipienda, an pro humana. Oportebat igitur hunc errorem omnibus palam facere, de aliis deinceps errandi occasionem Gratianus præberet, prout hæcenus multis magis nominis viris præbuit, qui sola Gratiani auctoritate freti verba illa Augustini in suis scriptis citant corrupta, & lacerata, quemadmodum in Gratiani decreto legerant. Nam Joannes de Turre Cremata (ut alios multos præteream) hunc Augustini locum, prout Gratianus illum corruerat, citat libro quarto de Summa Ecclesiæ, parte secunda, capite nono. Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus in libro de primatu Romanæ Ecclesiæ, capite decimoquarto, hæc Augustini verba, prout à Gratiano

corrupte citantur, adfert ad probandum Romanæ Ecclesiæ primatum. Si autem litteram illam in ipso Augustino Cajetanus legisset, vir certe longe doctissimus, & ingenii acumine præditus, facile agnovisset nec verbum ullum illic Augustinum dixisse, quod Primatei Romani Pontificis utcumque favere posset.

CAPUT III.

Quod solus librorum canonicorum sensus litteralis efficax est ad hæreticos vincendos, & quis sit dicendus litteralis sensus.

Cæterum hoc admonere oportet, sacram scripturam sæpenumero multiplicem pati intelligentiam in una eademque littera. Est enim ibi historia, quæ res gestas loquitur, quam litteralem sensum usitato, ac vulgari nomine appellant. Allegoria, in qua aliud ex alio trahentes, quid de divinitate, & humanitate de Christo, & Ecclesia sit credendum, ostenditur. Tropologia, in qua figurativa quadam locutione de moribus ordinandis differitur. Anagogia, per quam de cælestibus differentes ad superiora ducimur, gratia exempli: Si de Hierosolyma tractare velimus, dicimus juxta historiam esse quandam Civitatem in Judæa sitam. Juxta allegoriam ex nominis interpretatione dicimus significari Ecclesiam, propter pacem nimiam in ea existentem, quam Christo nato Angeli nuntiarunt, quam Christus moriens Discipulis obnixè commendavit, quam Discipuli ipsi sic custodierunt, ut spiritum nondum recepto, in ejus expectatione suspensi, habuerint cor unum, & animam unam. Quid putas nunc post receptum spiritum, nisi id quod Christus eis precatu est, ut unum videlicet essent, sicut ipse, & pater unum sunt? Secundum tropologiam significat animam cujuslibet justii, cui bestia vitiatorum pacificæ suat, ut jam nihil sit in quo eum accuset conscientia, sed in pace sit tabernaculum ejus, ut ait Job cap. 5. Denique juxta anagogiam designat supernam illam Hierosolymam matrem nostram, quæ (teste Paulo, Galat. 4.) libera est: cujus pax tanta est, ut exuperet omnem sensum: quæ utinam custodiat corda, & corpora nostra a conturbatione hominum. Sunt & alia id genus tam multa in sacris litteris, ut operosum esset recensere, immo verius dixerim, mihi impossibile. Cum ergo tot possint eidem litteræ sensus accommodari, hoc advertendum est, nullum eorum sensuum in argumentationem adducendum, nisi qui vere, & germane litteram explicat, quem litteralem sensum (ut dixi) nostri Theologi appellant. Nam quum alii sensus intra litteræ corticem magis latent, oportet ut ratiocinatione, & discursu, & per quasdam rerum similitudines deducantur. In quibus deducendis facilis est error, cum per humanam inquisitionem hoc fiat. Sic enim Dominus, & ei succedens Rogatus, dicentes intra illos solos, & eorum asseclas Ecclesiam contineri, volentesque errorem suum sacræ scripturæ testimonio fulcire, adducunt illud (Cantic. 1.) Indica mihi ubi pasceas? ubi cubas in meridie? Per hoc efficere volentes Ecclesiam ad solam Meridionalem plagam, quam ipsi incolebant, redactam esse. Futilis satis argumentum, & ex falsa intelligentia, ut patet: nempe ex sensu mystico satis abstruso, & infideli minime patenti. Sic etiam Lutherus volens ostendere omnem hominem cujuscumque status, aut sexus esse sacerdotem, assumit illud: (1. Pet. 2.) Vos autem genus electum, regale sacerdotium, &c. At litteralis sensus patenter est, cum ex vocum significatione, aut ex ejus conjunc-

tissimo vicino hauriatur: quo fit ut solus sensus litteralis efficax sit ad dogma aliquod destruendum, aut vincendum. Sic enim ait Augustinus in epistola ad Vincentium Donatistam, quæ est in ordine 48. „ Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat, & manifestissima testimonia, quorum lumine illustrentur obscura? Hæc illæ. B. Hieronim. in 2. lib. Commentariorum super Matt. pertractans de fermento à muliere absconso in farina: satis tribus, postquam retulit quorundam expositionem applicantium parabolam illam ad Trinitatem personarum, & unitatem essentia, hæc verba subjungit: „ Pius quidem sensus, sed nunquam parabolæ, & dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.“ Hæc ille. Huic sententiæ favet B. Dionys. qui in quadam epist. ad Polycarpum ait: „ Mystica theologia non arguit, hoc est, non præbet sufficiens argumentum ad aliquid probandum.“ Sed hæc regula non est semper, & ubique servanda, ut nunquam sensus mysticus sacræ scripturæ sit ad probationem dogmatis alicujus admittendus. Nam si ex aliis scripturæ locis aperte constare poterit illam mysticam scripturæ interpretationem esse juxta germanum, & verum illius sensum, tunc bene poterit ex illo mystico sensu sumi argumentum ad aliquam doctrinam stabilendam. Hoc enim aperte indicat Augustinus in illis verbis proxime citatis: ubi postquam dixerat impudentiam esse aliquid in allegoria positum pro se adducere, statim ab hac generali sententiâ particularem, & specialem casum excepit, sic dicens: „ Nisi habeat etiam manifesta testimonia quorum lumine illustrentur obscura.“ In quibus verbis apertissime docet bene posse sumi argumentum ex sensu mystico, quando aliunde constare potest talem sensum mysticum optime convenire illi litteræ, & esse verum illius sensum. Et hæc August. sententiâ apertissime probatur ex Paulo, qui sæpe ad sua dogmata comprobanda usus est testimoniis veteris Testamenti juxta mysticum sensum intellectis. Nam volens probare Galatis per adventum Legis Evangelicæ esse abrogatam legem Moysayam, adducit illud quod dixit Deus ad Abraham (Gen. 21.) *Ecce ancillam, & filium ejus, non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Quæ verba ille sic interpretatur, ut per ancillam intelligat legem veterem, quæ in multis servietur cæremoniis, & per filium istius ancillæ populum Judaicum. Per liberam vero, intelligit Legem Evangelicam ab omni illa servitute liberam, & filium hujus liberæ intelligit populum Christianum. Quæ verborum interpretatio (ut satis constat) est mystica, & ipse Paulus fatetur (Galat. 4.) dicens illa esse *per allegoriam dicta.* Præterea idem Paulus volens probare populum obligatum esse ex lege divina ad alendum eos qui evangelium docent, hæc ait (Deut. 25.) *Numquid secundum hominem hæc dico? An hæc lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bobæ trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi. At per bobes interpretari prædicatores verbi Dei, sensus est (ut apertissime constat) mysticus, & non litteralis. Ex quibus omnibus convincitur aliquando licere ex sensu mystico sumere argumentum ad dogma aliquod stabilendum, si aliunde possit aperte probari, quod talis sensus mysticus optime illi litteræ conveniat. Semper tamen*

men sensus litteralis, primum locum in disputatione tenebit, & fortior erit ad doctrinæ probationem. Cum ergo iste sit potissimum efficax ad hæreses convincendas, operæpretium erit inquirere, quis pro litterali sensu habendus sit. Sensus litteralis multiplici via habetur. Aliquando ex ipsarum vocum nuda significatione. Aliquando a capitur non ab ipsis vocibus, sed à re per voces significata. Non enim fieri potest, ut semper juxta primam vocum significationem sensus litteræ capiatur: alioquin multa absurda, & quæ pie aures horrent, reperirentur in sacris codicibus, tam in novo, quam in veteri instrumento: qualia sunt omnia illa quæ Deo membra corporalia videntur tribuere, aut cum Deus dicitur agnus, leo, petra, vitis, vermis, & id genus plura, quæ omnia dicit Christus per similitudinem, non per proprietatem. Et ut brevissimo compendio utar, ubicumque metaphora, aut translatio, aut figurata aliqua locutio invenitur, ibi non est dicendus sensus litteræ, is quem voces prima significatione exprimit, sed is qui deducitur ex similitudine quam res vocibus significata cum alia re habet: qualia sunt multa in nostra communi locutione: ut si voracem aliquem appellare volueris, lupum dixeris: si avarum, talpam: non quod hæc sint vere, sed magis illa quorum dicitur ista similitudines. Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 5. „ In principio cavendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipiamus. Et infra: Qui enim sequitur litteram, translati verba sicut propria tener, nec illud quod proprio verbo significatur, refert ad illam significationem. Sed si Sabbatum audierit verbi gratia: non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur. Et cum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri debet, victimis pecorum, terrenisque fructibus solet. Eadem demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse. Et in eodem lib. cap. 10. Huic autem observationi, qua cavemus figuratam locutionem, id est, translatam, quasi propriam sequi, adjungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuram velimus accipere. Demonstrandus est igitur prius modus inveniendæ locutionis, propria ne an figurata sit. Et iste omnino modus est, ut quicquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum, & proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum, & proximum pertinet.“ Hæc Aug. Cum ergo jam constitit de locutione figurata esse, hoc cavendum est, ne præscriptum esse putetur, ut quod ferret res aliqua per quamdam similitudinem significaverit, hoc eam semper, & in omni loco significare credatur. Una siquidem, & eadem res multis proprietatibus gaudet, propter quas plurimum rerum similitudinem, ac ideo significationem gerit. Quo fit ut eadem res aliquando diversa, aliquando opposita representet, propter diversas proprietates in ea repertas, per quas non tantum diversis rebus, verum etiam oppositis, similis invenitur. Leo enim propter constantiam, & fortitudinem Christum representat: (Apoc. 5.) *Vicit leo de tribu Juda.* Idem & propter veracitatem daemonem significat, ut apud Petrum: (1. Pet. 5.) *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circumquærens quem devoret.* De figuratis locutionibus satis me dixisse arbitror pro brevitate

quam tenere decevi. Sit ergo ex ante dictis hæc regula: Eum esse litteralem sensum, quem voces, aut res vocibus expressæ significant. Nec tamen omnis talis, sed ille solus quem Spiritus Sanctus intendit. Quod vel ex eo manifeste colligitur, si recolamus id quod paulo ante diximus, sacrorum scilicet librorum auctorem esse Spiritum Sanctum. Ille enim verus germanus litteræ sensus est, quem scriptor intendit. Ille verus vocis sensus, quem vocis sensus, quem vocis prolator per eam intelligi voluit. Scripturæ enim perinde, ac vocibus affectus, & cogitatus nostros testatur. Quum ergo Spiritus Sanctus sacræ Scripturæ sit auctor, ille pro verò ejusdem Scripturæ sensu haberi debet, qui à Spiritu Sancto intenditur. Omnis autem alius adulterinus est, aut hostis. Unde Hieronymus super epistolam ad Galatas: „ Quicumque scripturam aliter interpretatur quam sensus Spiritus Sancti efflagitat, licet ab Ecclesia non reprobetur, hæreticus appellatur.“ Hæc Hieron. Cæterum de sensu parabolarum, qui eum intra litteralem circumsepere voluerit, non ab re faciet. Si autem nollet, non obito. Verum circa parabolam ipsas quarum frequens est usus in Evangelis, hoc admonendum censui, quod (ut August. dicit) sic accipiendæ sunt, non ut essent, sed ut esse possent: ut cum (gratia exempli) dicitur: Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios. Quod si forte nullo modo id contigit, ut per illas eadem temporum vicissitudines iret, atque rediret patrifamilias, otiososque quos semper inveniebat, in vineam suam mitteret, id tamen fieri potuisset nihil prohibet: quod satis est parabolæ. Sed quoniam sæpenumero contingit, ut eidem litteræ plures accommodentur sensus litterales, seclusis aliis qui de mystica rerum significatione hauriuntur: hoc casu cavendum est, ne ullus eorum rejiciatur, dummodo ex aliis sacræ scripturæ locis testimonium habeat, voces illas alicubi, id quod nunc eis tribuitur, significare: & sensus qui ex tali vocum significatione illi litteræ accommodatur, si veritati fidei catholicæ minime obstat, uterque eorum tamquam germanus, & verus litteræ sensus censetur. Quid enim obstat scripturam sacram esse adeo fertilem, ut binos fetus edat? Sic enim de Ecclesiæ Doctoribus, qui sciunt quantumlibet abstrusos litteræ sensus eruere, mystica significatione dicitur: (Cant. 4.) *Dentes tui sicut greges consarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fatibus, & sterillis non est inter eas.* Hoc autem testimonio B. August. 3. lib. de Doctrina Christiana, cap. 27. comprobatur. Sic enim ait: „ Quando autem ex eisdem scripturæ verbis non unum aliquid, sed duo, vel plura sentiuntur, etiam si lateat quid senserit ille qui scripserit, nihil periculosum est si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum scripturarum doceri potest: id tamen eo conante qui divina scrutator eloquia, ut ad voluntatem perveniat auctoris, toris per quem scripturam illam, sanctus operatus est spiritus, sive hoc assequatur, sive aliam sententiam, de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exculpata, testimonium habens à quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus, & ipsam sententiam, forsitan vidit. Et certe Dei spiritus qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursum lectori, vel auditori sine dubitatione prævidit, immo ut occurreret, qui & ipsa est veritati subnixus, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius, & uberius potuit divinitus

provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina constantia faciunt approbari? Hæc Augustinus. Et de hac re hæc dicta sufficiant.

CAPUT IV.

Quod sacrarum Scripturarum interpretatio, quam quisque fidelis amplecti tenetur, ad solam Ecclesiam pertineat.

Quamquam regulam præscripsimus per quam cognosci valeat, quocumque sensu signato, sit ne verus Sacræ Scripturæ sensus, an non, multi tamen illa abutuntur: libereque ac pro libito Scripturam interpretantur, ut eam in sui erroris testimonium trahant. Ut enim inquit Aug. in lib. 83. quæstionum, quæstione sexagesimanona: „ Non potest error oriri paliatibus nominibus Christiano, nisi de Scripturis non intellectis. Sic enim à principio nascentis Ecclesiæ usque ad sæculum nostrum factum esse reperimus. Nam & Beatus Petrus testatur Paulinas epistolas ab aliquibus perperam intellectas, qui eas in suam errorem detorqueere conabantur. Sic enim ait: (2. Petr. 3.) Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quedam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant sicut & ceteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem. Arrius plures admodum Sacræ Scripturæ locos in sui erroris comprobationem attulit, omnes tamen male intellectos. Fecerunt & hoc ipsum Novatiani, Donatistæ, Pelagiani, Nestoriani, & qui non? Omnibus enim hoc commune fuit, ut scripturis perperam intellectis, pessimenterque expositis, suos tutati sint errores. Et hæc, pro dolor! hodie incuriosum à Lutheranis patitur, quibus adeo frequens est Evangelium, & Paulinæ epistolæ, ut nihil aliud spirare videantur. Verum Deo immensæ agendæ sunt gratiæ, qui omnes has Ecclesiæ infestationes, ad suam & Ecclesiæ gloriam vertit, quæ ictibus percussa, ad meliora studia se transulerint. Quo fit, ut multo plures viros doctos nunc Ecclesia possideat, quam à quadringentis retroactis annis hucusque habuerit. Oportet enim gentis retroactis annis hucusque habuerit. Oportet enim (ut ait Paulus) hæreses esse, ut probati manifesti fiant. Quod exponens Augustinus in libro super Genesim contra Manichæos, ait. Ideo Divina providentia multos divini erroris hæreticos ipse permisit, ut quum insultant nobis, & interrogant nos quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & Divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea Apost. ait: (1. Cor. 11.) Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant. Hi enim Deo probati sunt, qui bene docere possunt: sed manifesti esse hominibus non possunt, nisi quum docent; docere autem nolunt, nisi eos qui quærunt. Multi autem ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias & insultus hæreticorum quasi de somno excitentur. Qui homines si bonæ sint fidei, non credunt hæreticis, fed quid illis respondeant, diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, quin peccantes accipiant, & quærentes inveniant, & pullantibus aperiantur. Hæc Augustinus. Si ergo

hæreses sunt, & ex perversa Sacræ Scripturæ intelligentia (ut infra longius dicemus) oriuntur, oportet penes aliquem esse potestatem interpretandi Sacram Scripturam, cui interpretationi quilibet fidelis assentiri tenetur. Alioquin nulla patet via convincendi hæreticum, si cuique liceat pro suo arbitratu eam interpretari. Verum quia possibile est ut hoc ab aliquo negetur, sic rationibus illud fulcire oportet, ut vel impudentissimus sit qui obster. Qua de causa unum quemlibet hæreticum convenio, & rogo an credat aliquem esse aut usquam fuisse hæreticum à vera fidei regula deviantem. Nullus (opinor) inficiabitur aliquem fuisse usquam, qui à recta fidei regula discesserit, nisi forte ex secta Rhetoricorum fuerit: qui (ut Philastro placet) æstimant omnes hæreses veras esse, hæreticosque semper bene sentire. Quod adeo magna est dementia, ut Augustino libro de hæresibus cap. 72. impossibile videatur hominem ullum adeo stupuisse, ut hoc asseveraret. Non dubito quin Arrianus hæreticum censeat Sabellium, Sabellius vice versa Arrianum. Pelagius si superstes esset, iudicaret Lutherum à vera fide deviare. Lutherus hoc idem impingit Pelagio. Sunt enim eorum assertiones adeo pugnant, ut altera alteri minime coherere queat. Si ergo (ut patet) concedat aliquem fuisse hæreticum, percontabor tunc, an pateat via qua homo ille doceri possit, ut nisi malitia obstat, excitari possit ab errore. Quod si abnuat, fateatur necesse est nullam culpam esse imputandam hæretico quod ab errore non discedat, utpote quia immedicabili ignorantia laborat. Dominus enim (ut ait Augustinus in quodam sermone) servum pigrum non damnet, si ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret. Si vero concedat aliquam viam patere qua homo ab errore avocari possit, docerique perperam Sacram Scripturam intellexisse, quæro à quo docendus erit? Non ab alio homine, quia de quolibet homine causabitur illum decipi, noletque ob id interpretationem ejus amplecti. Omnis enim homo errare potest in fide, etiam si Papa sit. Nam de Liberio Papa refert Platina illum sensitse cum Arrianis; & Anastasium secundum hujus nominis Pontificem fuisse Nestorianis, qui historias legerit, non dubitat. Cælestinum Papam etiam errasse circa matrimonium fidelium, quorum alter labitur in hæresim, res est omnibus manifesta. Neque hic Cælestini error talis fuit, qui soli negligentie imputari debeat, ita ut illum errasse dicamus velut privatam personam, & non ut Papam qui in qualibet re seria desinienda consulere debet viros doctos: quoniam hujusmodi Cælestini definitio habebatur in antiquis Decretalibus, in cap. Laudabilem, titulo de conversione infidelium: quam ego ipse vidi & legi. Si ergo nulli homini jure tenemur in interpretatione sacrarum Litterarum credere, propterea quod quilibet homo solus errare potest, erit necessario iudicium interpretationis penes totam Ecclesiam, penes quam jus fuerat discernendi Sacras Scripturas ab humanis. Nam hæc errare non potest, cum à Spiritu Sancto sit edocta. Nullus enim verius Scripturam aliquam interpretari potest, quam quam qui mentem & spiritum scriptoris habet. At certum est Ecclesiam spiritum Dei habere. Sic enim Christus promissit: (Joann. 14.) Alium Paraclitum dabo vobis, qui suggeret vobis omnem veritatem. Et alibi de seipso dicit: (Matth. 27.) Rogo vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Si ergo Deus Ecclesiæ semper addat, & spiritus ejus suggerit illi omnem veritatem, qui sit ut falli possit, aut Scripturam interpretari nesciat, quæ ab Auctore Scrip-

turæ quotidie edocetur? Adde quod Ecclesia sponsa est Christi, in qua cor viri ejus maxime confidit, ut dicitur in lib. Proverb. (Cap. 31.) At non bene in ea confidere diceretur, si illi Scripturas offerret, quarum claves apud se retineret. Hoc autem eveniret si Scripturis Ecclesiæ traditis, earum intellectum non traderet, sed penes se retineret Deus. Numquid celare poterit Abraham, ait Deus, (Gen. 28.) quæ facturus sum? Si ergo Abraham Deus celare noluit, quæ facturus erat, quæto minus celabit Ecclesiæ Scripturarum intelligentiam? Præterea Ecclesia hoc habet ut verbum Dei possit à verbis hominum discernere: nam alias nesciremus hoc esse Evangelium Matthæi, illud vero Marci vel Lucæ, nisi testimonio Ecclesiæ id afferrent didicissemus. Certum est autem hæc potestatem discernendi Scripturas Divinas ab humanis Ecclesiam non aliunde habere, quam à Deo: nec ob aliam causam, quam ne in his erraret Ecclesia, in quibus non errare maxime oportebat. Unde manifeste convincitur, ut si penes Ecclesiam sit discretio verborum Dei à verbis hominum, sit etiam penes ipsam Ecclesiam potestas discernendi sensum divinum ab humano. Alioquin enim nihil profuisset si Ecclesia Deo decente Sacram Scripturam veram discernat à falsa, & in Scriptura vera nesciat falsam sensum à vero separare. Non enim minor erat jactura si falsum sensum Ecclesia pro vero susciperet, quam si Scripturas hominum pro divinis amplecteretur. Hieronymus super epistolam ad Galat. Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum follis, sed in radice rationis. Hæc Hieronymus. Quo fit ut qua lege credimus Ecclesiæ dicenti hæc esse Scripturam Divinam, eadem lege credamus ei dicenti hunc aut illum esse sensum Scripturæ Divinæ. Nam parum referat Scripturas tenere, si vera earum intelligentia Ecclesia fraudata esset. Non enim contentio est in verbis, sed in rebus. Constat aliis verbis Græcos uti, aliis Latinos. Aliud est Hispanis idioma, aliud Gallis, aliud Germanis, aliud Britannis. Non est terra jam unius labii, cum tamen eadem sit res de qua loquuntur. Nihil interest an verba Christi hoc aut illo idiomate proferas, modo eundem referas sensum quem ille intelligi voluit. Ad eundem modum minimum refert eadem tenere verba, si oppositis secumque pugnantibus sensibus à diversis exponantur. Nos etenim Christum adorantes, & coram eo procedentes dicimus, Ave. Judæis eundem illudentes dicebant, Ave. Verba sunt eadem: quis tamen nesciat inter nostra & illorum verba magnum esse discrimen ex vario sensu, varique intentione? Judæi enim illusionem, nos autem reverentiam eisdem verbis significamus. Cum ergo tantum intersit, ut hoc aut illo sensu verba capienda sint, maxime oportuit penes Ecclesiam esse jus scripturas interpretandi, non aliter quam Divinas Scripturas ab humanis discernendi. Alioquin nulla pateret via qua hæresis revinci potest. Nam cum omnes hæretici (ut diximus) suos errores Scripturis confirmet, qui ex Scriptura minime oriuntur, sed ex adulterio ejus sensu: quo pacto sensus ille rejici poterit, si illum hæreticus velut germanum littere sensum recipere velit? Aut à quo rejicietur, si penes nullum sit auctoritas Sacram Scripturam interpretandi? Dices forte rationibus & argumentis & conjecturis, præcedentium & sequentium verborum contextu verum litteræ sensum elici posse. Fateor hæc plurimum juvare, nec tamen rem omnino absolvent: quoniam nec semper conjecturæ cogunt, nec argumenta evidentem colligunt.

præcipue in rebus fidei, ubi minima est argumentorum vis. Adde quod multa sunt quorum verus sensus longissime à littera discedit, tantum abest ut ex ea conjici possit: Sed ecce dum ad bellum accingimur, & arma paramus ad congressum, signo adhuc minime ad pugnam dato, iuvavit nos unus ex his quos expugnare decrevimus, nempe Lutherus. Quisnam is sit, quum de hæresibus sigillatim agatur, enarrabimus. Is enim in suo libro de captivitate Babylonica, quum de Sacramento Eucharistiæ differret, sic ait: Verbis divinis non est faciendi vis, neque per hominem, neque per Angelum, sed quantum fieri potest, in simplicissima significatione servanda sunt: & nisi manifesta circumstantia cogat, extra grammaticam & propriam accipienda non sunt, ne detur adversariis occasio universam scripturam eludendi. Hæc Lutherus. O fomentum plurimarum hæresum. Jam Lutherum percontari vellem, an semper juxta simplicissimam significationem, & juxta solam grammaticam verba accipienda sint, an aliquando licebit extra grammaticæ limites divagari? Quod si id licere neget, in vanum ergo laboraverunt tot illustres viri in erudendis veris Sacræ Scripturæ abstrusissimis sensibus: nec tantum oporteret circa eam laborem impendere, si sola grammatica sufficere, & verborum simplicissima significatio. Adde quod multa tunc in sacris litteris reperirentur, quæ vel parum pius homo aut rideret, aut abominaretur: quale est istud, (Luc. 22.) ut unum aut alterum ex multis adferam: Ego dispono vobis mensam, sicut disposuit mihi pater, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo. Cui alludere videtur illud Esaiæ, (Cap. 65.) quum de retributione juxta uniuscujusque opera singularis donanda differens, ait his qui in luxu & fastu vitam hæc transegerunt: Servi mei comedent, vos autem esurietis: servi mei vivent, vos autem sitietis, &c. Quæ si juxta solam verborum simplicissimam significationem (ut Lutherus ait) accipienda essent, quis non videt ex hoc anam præbere Cherinto fovendi suam impiam hæresim, qua ait, in illa expectata beatitudine futuras esse carnis delicias? Omnibus etiam vel illud notissimum est quod Christus ait: (Joann. 14.) Pater major est me. Si nulla ibi requiratur interpretatio præter illam quæ ex verborum simplicissima significatione hauritur, certum est inde arma gratis donari Arrianis, quibus suam exitentiam diu sepultam hæresim. Si nulla alia expositio est adhibenda sacris litteris præter illam quæ ex grammaticæ regulis hauriri potest: satis exultabunt inde Marcion hæreticus, & Manichæus ejus imitator, dicentes legem veterem fuisse malam: quoniam Paulus ait: (Rom. 5.) Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Et idem Manichæus se triumphasse de Catholicis crederet, quum ait Prophetas omnes errasse, quoniam Christus ait: (Joann. 10.) Quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones. Ex his ergo luce clarius offenditur, ut si Lutherus noluit consentire Cherinto, aut favere Arrio, interpretationem sacrarum litterarum extra grammaticæ alveum non solum admittat, verum etiam exigat. Quid quod Lutherus passissime sui instituti immemor, sacram scripturam quæ à Catholicis obijcitur expositione minime regulis grammaticæ convenienti detorqueat, & in alienum sensum trahit? ut facile est videre quam verba Christi quibus panem in suum corpus vertit, dilacerat. Sic enim exponit, hoc, id est, hic panis, est corpus meum. Verum ut ubique tyrannidem exerceret, noluit legem quam tulerat pati. Vult enim Lutherus (ut vere per Phariseorum sermentum habere ostendat) nobis onera importabilia imponere, quum

tamen ipse nec digito velit ea movere. Quum enim prius legem statuisset de inhibenda scripturæ interpretatione, in eam quam vidit expositionem prorupit, de qua infra in titulo *Eucharistia* differemus. Si ergo tibi Luthere tribuis potestatem sacram exponendi scripturam quam tibi objiciunt; cur non permittes tot sapientibus facultatem exponendi eas quas nobis objicis auctoritates? Tibi temere licebit pro tuo arbitratu depravare scripturas, & Catholicæ Ecclesiæ non licebit aliquid exponere? Vis enim has quibus inniteris auctoritates non exponi, nec summis digitis tangi, sed juxta litteram accipi: nefasque esse ais à litteræ cortice vel tantillum discedere: cum tamen has, quæ nobis & veritati favent, mira libertate contrectes, detorqueas, alienes. Est ne forte tibi alia scriptura quam nobis, ita quod illa exponenda non sit, hæc autem etiam à canibus dilaniari permitatur? Aur si forte tibi eadem est scriptura sacra quæ & nobis, unde hæc tibi & tuis complicitibus audacia, ut quam nobis admittis interpretandi potestatem, vobis ipsi arrogatis? Est ne forte à nobis ablatum regnum Dei, ut daretur vobis? Si hoc ita esse assertis, ostendite vos esse eam gentem facientem fructus, cui Christus regnum hoc se daturum spondit, & cedo. Eos tamen fructus neque videmus, neque spero videbimus, nisi Deus sua benignissima pietate vestros miseratus errores, à tenebris in lucem vos aliquando reducat. Quod si forte Luthero vexatio jam dederit intellectum, ut nobis perinde ac sibi permitat sacras scripturas interpretari: hinc jam eveniet, ut quum inter nos & illum de vera litteræ intelligentia non conveniat, sit penes alium judicium, qui omni contentione sublata, verum & catholicum sensum ostendat. Is autem talis sit oportet, ut falli nequeat: at omnis homo falli potest, ut paulo ante ostendimus. Ecclesia autem falli non potest, in his maxime in quibus multum interest non falli. Convincimus ergo penes Ecclesiam esse potestatem & discernendi scripturas Divinas ab humanis, & in eisdem scripturis Divinis sensum divinum ab humanis separandi, cuius discretioni & judicio quilibet fidelis tenetur obtemperare in uno perinde ac in altero. Forte aliquis nobis objiciet, ut nostram hanc sententiam infirmet, & sic dicet: Si Ecclesia est quæ sola errare non potest, & à qua verum & indubitatum sacra scripturæ sensum recipere debemus, numquam aut saltem difficillime poterit aliquis verum & certum sacra scripturæ sensum assequi, postquam de illo semel dubitare cœperit. Quoniam Ecclesia quæ per totum orbem diffusa est in nullo aliquo loco congregari potest, E ut unum aut alterum ignorantem docere valeat. Si dicas Ecclesiam totam representari in generali Concilio, & ab illo verum scripturæ sensum esse petendum, oporteret hac ratione fateri, difficillimum esse verum & certum scripturæ sensum assequi: quia difficillimum esset pro quocumque dubio scripturæ sensu, generale Concilium congregare. Fateor quidem rem fuisse semper difficilem, & nunc, proh dolor! difficillimum generale congregari Concilium, atque ideo concedo non esse necessarium tale Concilium congregari, ut per illud agnoscamus quid Ecclesia doceat, de vero alicujus sacra scripturæ sensu. Nam sicut ad cognoscendum quam scripturam Ecclesia reputat sacram, non solum attendimus Conciliorum generalium definitiones, sed etiam (ut August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 8. docet) sententiam in pluribus Ecclesiis particulatim continua successione servatam: ita etiam ad cognoscendum quid pro vero scripturæ sensu Ecclesia teneat, recurremus ad sacros & sanctos Doctores, qui nos præcef-

serunt: & qui ab illis continua successione & sine ulla controversia habitus est semper pro vero scripturæ sensu, illum sine dubio credamus esse sensum quem Ecclesia catholica docet esse tenendum. Hoc enim docet Sanctus Clemens Martyr & Petri discipulus lib. 10. recognitionum sic inquit: „ Oportet ab eo intelligentiam discernere „ scripturarum; qui eam à majoribus sibi traditam servat. „ Hæc ille. „ Non ergo à Luthero, aut Oecolampadio, aut Melanctone, aut Buccero, aut Zuinglio, aut quovis alio similis farinae homine discernere oportet sacra scripturæ intelligentiam, quia nullus eorum tradit illam quæ est à majoribus nostris servata, sed quam quisque illorum pro suo libito confinxit. Clementi consentit Augustinus, qui in quadam epistola ad Paulinum hæc ait: „ Eligo in „ his verbis (loquitur de quibusdam sacra scripturæ ver- „ bis) hoc intelligere quod omnis vel pene omnis ver- „ quant Ecclesia. Hæc Aug. „ Præterea, usu perpetuo servatum est hoc in Ecclesia, ut si quando forte inter Catholicos, & Hæreticos fuisset orta controversia de vero intellectu sacra scripturæ, semper in Conciliis, quæ ob hanc causam congregata essent, haberetur recursus ad sententiam Patrum præcedentium usque ad tempora Apostolorum, & quod ab illis continua successione traditum fuisse intellexerunt, illud cœnserunt esse Ecclesiæ Catholicæ doctrinam necessario suscipiendam. Hoc tamen diligenter est advertendum, quod de illorum Patrum sententia solummodo sebat inquisitio, qui ante controversiam ortam sanctiores & doctiores habiti sunt, & qui de illa re non in alicujus hominis gratiam, sed solum ad Dei honorem scriperant. Sic enim legitur in historia tripartita libro 9. capite 19.

CAPUT V.

Quod aliqua sunt quibus ex universali Ecclesiæ definitione fides integra adhibenda est, etiam si expressis sacra scripturæ testimoniis non valeant comprobari.

At multa sunt hæreticorum dogmata, quæ testimonio scripturarum minime refelli possunt, sed solum universali Ecclesiæ traditione rejiciuntur. Hanc autem Ecclesiæ traditionem plurimi hæreticorum subsannant, deridentque. Nam & ea se ab eis derideri queritur apud Job (Cap. 30.) dicens: *Nunc autem ridet me juveniores tempore*: quod exponens Beatus Gregorius, ait: „ Omnes hæretici ætati universalis Ecclesiæ comparati, „ juveniores tempore congrue vocantur, quia ipsi ab ea, non autem ipsa egressi est ab illis. Unde recte quoque per Joannem dicitur: (Epist. 1. cap. 2.) *A nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent exi nobis, mansissent utique nobiscum*. Juniores ergo tempore sanctam Ecclesiam irrident, quum hi qui ab ea egressi sunt, doctrinæ ejus verba despiciunt. Hæc Gregorius. Ideo hoc jaciendum est solidissimum fundamentum, quo tamquam firmissimo præsidio adversus hæreticos sæpissime in posterum nos munire oportebit. Universalis Ecclesiæ traditiones aut definitiones in his quæ fidem spectant, etiam si aperta scriptura in earum probationem desit, non minoris sunt auctoritatis quam ipsa sacra scriptura. Hanc autem assertionem, ut non facile ruat, pluribus oportet rationibus fulcire. Prima, quum non minus efficax est ad docendum fidem & mores vox docentis, quam scripturæ: immo longe efficacior: quod vel auctore Hieronymo in epistola ad Paulinum de omnibus sacra scripturæ libris satis constat. Sic enim ait: *Habet nescio quid latentis en-*

energæ, vivæ vocis actus, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat. Dic ergo an præbeas fidem Evangelii, eo quod ab hominibus scripta fuerit, an quia à Deo ipsis hominibus inspirata, qui & corda & manus eorum ad scribendum movebat? Non dubito te hac ratione ad eorum fidem adduci, quod credis eos in scribendo divino afflato spiritu. Quid ergo prohibet divinum spiritum astare Ecclesiæ loquenti, perinde ac Evangelistæ scribenti? Cum ipse dicat Apostolis (Matth. 10.) *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Nam quid destituit Deus jam Ecclesiam suam spiritu suo, ut per os ejus loqui dedignetur ut antea? Absit. Nam ipse dicit: (Matth. 28.) *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Si ergo credis scripturæ divinæ per manus Evangelistarum & Apostolorum scriptæ, cur non credis voci divinæ per os Ecclesiæ prolatae? At dicis forte te scire hanc scripturam esse divinam, ac ideo te illi præbere aures: nec tamen ita scis vocem illam esse divinam, ac ideo non credis: crediturus autem si tibi aliqua ex parte innotesceret vocem illam Ecclesiæ hoc aut illud asserentis esse divinam. Dic obsecro unde scis hunc librum esse Matth. illum Marci, illum vero Lucæ, aut illum Joannis? Num adfudisti scribentibus? Quod si dicis te hoc scire ex titulis qui eorum scriptis appositi sunt, erit hæc ratio ut non tenacius adhaereas ut credas primum ex 4. Evangelii esse Matthæi, quam ut credas librum de Civitate Dei aut de Trinitate esse August. Quod si annuis, certe vacillat fides tua, & baculo tenerimo innititur. Quis enim nescit quam sæpissime errant titulorum inscriptiones, adeo ut eundem librum duorum aut trium auctorum diversis titulis inscriptum reperias? Quo fit ut pro talibus inscriptionibus defendendis raro velim contendere. Ne autem negem primum Evangelium esse Matthæi, aut epistolam ad Romanos esse Pauli, cervicem libentissime gladio opponam. Verum forte dicis (ut par est) te credere hoc Evangelium esse Matthæi, illud vero Lucæ, quia Ecclesia ita testatur. Si ergo credis Ecclesiæ dicenti hoc Evangelium esse Matthæi, illud vero Lucæ, quæ res est tam seria, ut ex ea cætera ferme omnia pendant: cur non credis eidem Ecclesiæ dicenti reliqua, etsi scripturis ea minime confirmet? Numquid ut crederes Ecclesiæ dicenti hoc Evangelium esse Matthæi, exigis ab ea testimonium ex scriptura divina, sine qua minime crederes? Numquid oportuit ut Matthæus testaretur de Luca eum scripsisse Evangelium, aut Lucam hoc idem testari per scriptum de Matthæo? Si hoc ita est, ut semper scriptura quælibet in sui probationem alterius scripturæ testimonium exigat, quis non videt hac ratione abundum esse in immensum sine fine? Quo fiet ut numquam scire quis possit certo de scriptura aliqua, esset ne divina, an humana. Si vero non exigitur, cur Ecclesiæ absque ullo divina scripturæ testimonio dicenti tibi hoc esse Evangelium Matthæi, credis: in aliis autem sine scripturæ divinæ testimonio non vis credere? Nonne eadem est Ecclesia quæ hoc asserit & illud? Nonne scripturarum discretio est res adeo seria, perinde ac quævis alia? Ceterum ut fortius agamus, & clarius hominem convincamus, hoc unum gratis donamus, re absque scripturæ sacra & Ecclesiæ testimonio, sed sola Sancti Spiritus illustratione edoctum scire Evangelium esse hujus vel illius, ac ideo dicas te credere illi. Dic ergo, cur credis Evangelistæ, & non Ecclesiæ ejus ipse Evangelistæ membrum unum fuit, cum Ecclesia tanto Evangelistæ excellat, quanto integrum corpus singulis præstat membris? Si uni fides, cur diffidit cunctis? Si

membro tribuis tantum, cur toti nihil tribuis corpori? Præterea non legimus Christum aliquid scripsisse, sed solum verbo docuisse, ex cujus verbis multa præterierunt Evangelistæ, quorum nullam profus fecere mentionem. Unde Joannes Evangelista in ult. Evang. sui cap. ait: *Sunt & alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros*. Pari ergo ratione credendum est, nec eos omnia quæ Christus dixerit, scripsisse: quale est illud: *Beatus est dare quæ accipere*: quod Paulus testatur Christum dixisse, cum tamen nullus Evangelistarum illius dicti meminerit. Et Lucas cap. 1. Actorum Apostolorum refert de Christo Domino nostro, quod post resurrectionem suam præbuit seipsum discipulis suis vivum in multis argumentis, per quadraginta dies apparess eis, & loquens de regno Dei, ex quibus verbis vix unum & alterum scriptum reperies. Credendum est tamen Apostolos alii verbo narasse tam facta quam dicta, atque ira ex ore in hos, & ex pectore in pectus transfusa, ad nos usque pervenisse sine alio quovis scripturæ testimonio. Insuper multa fuerunt Apostolorum dogmata & præcepta de regimine Ecclesiæ, quæ scripto minime fuerunt mandata. Nam Actor. Apostolorum. cap. 15. dicitur quod Paulus electo Sylla, profectus est traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Et sequenti capitulo dicitur de Paulo & ejus discipulo Timotheo in hunc modum: Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus qui erant Hierosolymis. Hæc parum nostro proposito conducunt, quoniam Apostolorum canones reperimus quos ipsi ad regimen tunc nascentis Ecclesiæ ediderunt. Hos per quadraginta & octo capita digestos, Lidorus in principio Conciliorum collocavit. Quos à Clemente Papa & Martyre (ut dicitur) translato, Zepherinus, & Leo summi Pontifices & sexta Synodus approbarunt. Damascenus tantum illis tribuit, ut in fine 18. libri de fide orthodoxa, cap. 4. videatur eos in numerum canonicorum librorum referre. Nam cum de canonicis libris dixerit, eorum catalogo recensito, nulla profus distinctione facta, subnectit canones Apostolorum per Clementem. Sed his demissis, vel illud maxime nostram assertionem confirmat, quod Paulus ait in secunda ad Thesalonicenses epistola: *Itaque fratres stete & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Et in secunda ad Timor. epist. *Tu ergo fili mi confortare in gratia quæ est in Christo Jesu: & quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt alios docere*. Ex quibus duobus locis satis clare ostenditur Paulum aliqua verbo solo tradidisse, quæ nusquam scripto mandaverat. Tunc peto, an præcepta habeant vim & robur suum à scriptura, an ab animo obligantis? Si ex animo solum præcipientis pendunt, quum voces æque animi testentur, ac scripturæ, qui fit, ut verbo ab uno ab altero transmissa, non habeant æquam vim obligandi sicut scripturæ? At dicis verbis non esse tantam fidem adhibendam, quanta debetur scripturis, eo quod verba citius faciliusque permittantur, minuuntur, augentur, depravanturque, quam scripturæ. Esto; sed numquid adeo semper diffidendum erit verbis, ut numquam alicui credatur, nisi scripturis comprobet? Absit. Hoc enim modo omnis convictus humanis peribit: non credere me inceptisse aliquando, non crederes talem esse patrem meum,